bardi a flumine recederent. Sin vero a Lamissione
ut et factum est ipsa vinceretur, Langobardi eandem
permeandi fluenta copia preberetur. Constat sane
quia huius assertionis series minus veritate subnixa est.
Omnibus enim quibus veteres hystorie note sunt patet,
gentem amazonum longe antea quam hec fieri potuerint
esse deletam. Nisi forte quia loca eadem ubi hec gesta feruntur
non satis hystoriographis nota fuerunt, et vix ab a-
liquo eorum vulgata sunt, fieri potuerit ut usque ad id
tempus huiuscemodi inibi mulierum genus haberetur.
Nam et ego referri a quibusdam audivi usque hodie in in-
timis germanie finibus gentem harum existere femi-
Igitur transmeato Langobardi n. m3.
16 de quo diximus flumine cum ad ulteriores terras perve-
nissent, illic per tempus aliquot commorabantur. Interea cum
adversi nichil suspicarentur, et essent quiete longa mi-
nus solliciti, securitas que semper detrimentorum mater
Securitas mater detrimentorum est, eis non modicam perniciem peperit. Nocte denique cum
neglegentia resoluti cuncti quiescerent, subito super
eos bulgares inruentes plures ex eis sauciant, multos
prosternunt. Et in tantum per eorum castra diu vagante(s),
Agelmundus interficitur ut ipsum Agelmundum regem interficerent, eiusque unicam
filiam sortem captivitatis auferrent.
Resumptis post hoc incommodum Langobardi viribus, La-
Rex Lamissio .II. missionem de quo superius diximus, sibi regem constitu-
erunt. Qui ut erat iuvenili etate fervidus, et ad bel-
la certamina satis promptus, alumni sui Agelmundi ne-
cem ulcisci cupiens, in bulgares arma convertit.
Primoque mox prelio commisso, Langobardi hostibus terga
dantes ad castra refugiunt. Tunc rex Lamissio ista
conspiciens elevata alta voce omni exercitui clama-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_927/0270
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG